bernatione removeatur, & in monaſterio recludatur, & uno anno a ſancta communione ſegregetur: cum hæreticis prodiderit Chriſtianos. Si autem orthodoxus poſſeſſionem habens in qua eſt & ſancta eccleſia, alienaverit aut reliquerit, aut per emphyteuſim, aut per conductionem, aut quamlibet gubernationem hanc dederit Judæo, aut Samaritano [1], aut Ariano, aut alii hæretico: ſancta [2] eccleſia ejuſdem vici hujuſmodi vindicet proprietatem alienationis. Si quis autem hæreticorum (quibus etiam connumeramus Neſtorianos, & Acephalos, & Eutychianiſtas) præſumpſerit ſpeluncam [3] ſuæ incredulitatis ædificare, aut Judæi novam ſynagogam conſtituere, locorum ſancta eccleſia ædificia ſuæ proprietati defendat. Si vero quis per emphyteuſim, aut conductionem, aut etiam per quamcunque aliam gubernationem dederit poſſeſſionem hujuſmodi perſonæ: ſi quidem ſciebat dominus poſſeſſionis ejus, quia hæretico hanc commiſit, omnes reditus illius temporis quod in contractu tranſiit, eccleſiæ civitatis, ſub qua poſſeſſio conſtituta eſt, vindicari. ſi vero ignorabat dominus poſſeſſionis, quia hæreticus erat cui hæc commiſſa eſt, ipſum quidem dominum propter ignorantiam indemnem ſervari: hæreticum vero in utroque caſu expelli de poſſeſſionibus, & ejus ſubſtantiam applicari fiſco.

CAP. XV.

Ut orphanotrophi ſint tutoribus ſimiles & ad inſtar eorum inventarium conficiant.

ORphanotrophi [4] vero, tutorum & curatorum fungantur officio: ita tamen, ut etiam ſine ſatisdatione & conveniant, & conveniantur de rebus orphanotrophiis, & ipſis propriis orphanis competentibus. Res autem competentes alicui orphanorum, publicis præſentibus tabulariis, aut ſub geſtis monumentorum in hac quidem regia civitate apud magiſtrum cenſus habitis: in provinciis autem apud judices earum, aut defenſores locorum, orphanotrophiis accipere & cuſtodire: & ſi neceſſarium putaverint, etiam alienare, & pretia earum orphanis conſervare: aut alias res pro illis emere: non autem ſubjacere tutelaribus aut curatoriis rationibus: ſervari autem jubemus venerabili orphanotrophio hujus regiæ urbis, & xenodochio quod vocatur ſanctæ Mariæ Sanſo [5], & ſub ejus gubernatione conſtitutis oratoriis aut xenonibus, aut venerabilibus domibus omnia privilegia quæcumque habet major ſanctiſſima eccleſia Conſtantinopolitana.

EPILOGUS.

† Quæ igitur per præſentem legem in perpetuum valituram noſtra ſanxit tranquillitas, tua celſitudo edictis ſolenniter in hac regia urbe propoſitis, ad omnium ſtudeat pervenire notitiam. Non enim providebimus quatenus ſine collatorum diſpendio fiat etiam in provinciis manifeſta. Dat. 15. Kal. April. *Conſtantinop.* DN. JUSTIN. PP. Aug. * BASILIO V. [6] C. CONS.

TIT. XV.

DE INTERDICTIS [7] COLLEGIIS HÆRETICORUM [8].

NOVELLA CONSTIT. CXXXII.

Imperator Flavius Juſtinianus, felix, inclytus, victor ac triumphator ſemper Auguſtus, Epiſcopo Conſtantinopolitano.

PRÆFATIO.

PRimum eſſe & maximum bonum omnibus hominibus credimus, veræ & immaculatæ Chriſtianorum fidei rectam confeſſionem: ut per omnia hæc roboretur, & omnis orbis terrarum ſanctiſſimi ſacerdotes ad concordiam copulentur, & conſone immaculatam Chriſtianorum confeſſionem prædicent, & omnem occaſionem, quæ ab hæreticis invenitur, auferant, quod oſtenditur ex diverſis conſcriptis a nobis libris & edictis. Sed quoniam hæretici neque Dei cogitant timorem, neque interminatas talibus pœnas ex legum ſeveritate conſiderantes, diaboli opus implent, & quoſdam ſimplicium ſeducentes ſanctæ fidei catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ, adulteras [9] collectas, & [10] adultera baptiſmata latenter faciunt: pietatis exiſtimavimus, per præſens noſtrum edictum monere eos, qui tales ſunt, quatenus & ipſi recedant ab hæretica veſania, & nec aliorum animas per ſimplicitatem perdant, ſed magis concurrant ad ſanctam Dei eccleſiam, in qua recta prædicantur dogmata, & omnes hæreſes cum principibus ſuis anathematizantur. Noſſe enim volumus omnes, quia ſi de cætero aliqui inveniantur aut [11] contrarias collectas facientes, aut apud ſemetipſos collectionem: nequaquam omnino eos ferimus, ſed domos [12] quidem ubi aliquid delinquitur, ſanctæ aſſignamus eccleſiæ: his autem qui colligunt, aut apud ſe colliguntur, ex conſtitutionibus pœnas inferri omnibus modis jubemus. Dat. Prid. Non. April. *Conſtantinop.* Dom. JUST. PP. Aug. * BASIL. CONS.

TIT. XVI.

QUOMODO OPORTEAT MONACHOS [13] VIVERE.

NOVELLA CONSTIT. CXXXIII.

Idem Auguſt. Mennæ beatiſſimo Archiepiſcopo.

PRÆFATIO.

SIngularis [14] vita hujuſque contemplatio res [15] eſt ſacra, & ex hoc evehens animas ad Deum, & non ſolum juvans eos qui ad hanc accedunt, ſed etiam aliis omnibus pro ejus puritate & ſupplicatione ad Deum, præbens inſpectam utilitatem. Unde & priſcis imperatoribus ſtudii fuit & a nobis non pauca ſancita ſunt de eorum honeſtate & ornatu. Sequimur etenim ſacras regulas & antiquos patres qui hæc ſanxerunt, quia *nihil* [16] *ſine via ad quæſtionem eſt imperio*, communem omnium hominum ſollicitudinem ex Deo accipienti. Dudum [17] quidem ſcripſimus conſtitutionem volentem *in multitudine exiſtentes monachos in commune* [18] *degere ſecundum quod vocatur cœnobiorum ſchema: & neque propria habere habitacula* [19], *neque ſubſtantias* [20] *congregare, neque vitam* [21] *habere ſine teſtimonio: ſed communiter quidem ipſos comedere* [22]*: dormire* [23] *vero omnes in commune, & honeſtam ſectari vitam, & teſtes eſſe ornatus alterutris, & juvenes* [24] *quidem vereri canitiem hæc reſpicientium, & ex ſtudio etiam vigilias* [25] *aſſumere*, ut ne quid facinoris velut per ſomnum fiat, neque turpis videatur aliis, ſed unuſquiſque ſuam honeſtatem etiam dormiendo cuſtodiat.

CAP. I.

QUibuſdam vero nobis nunciatis, quæ digna & majori cautela legis egebant; recte ad præſentem venimus ſanctionem ad illius perfectionem & ſupplementum, per quam ſancimus nullam penitus habere licentiam ſeparatim habitandi, neque appellatam cellulam [26] niſi ſolus fuerit, & monaſterium duobus utens miniſtris, & continentem & quietam degant vitam, ſed omnino cum ſint plurimi viri, una ſit eorum converſatio & orantium & quæ naturæ ſunt opera [27] facientium, quatenus inculpabiles & inaccuſabiles conſiſtant: & communiter quidem ſicut dictum eſt, comedere, communiter quoque dormire, & ſiquidem tanta ſit multitudo, quanta in uno habitaculo capiatur, alioquin duo forſan aut tria habitacula eſſe quæ capiant eos. Nullum tamen omnino proprium habere, ſed in commune vivere diebus & noctibus, ut noctes eis eandem habeant quam dies obſervationem. Non enim dormiunt omnes ſemper, ſed palam eſt, quia alii quidem in ſomno ſunt alii vero vigilant, & omnino erunt quidam dormientes inſpicientes. Si autem aliqua habitacula ſint in quolibet monaſteriorum ſub tua conſtitutorum ſanctitate, ſive in hac magna civitate, ſive in ejus per circuitum habitaculis, ſive a nobis ipſis ædificatis, ſive ab aliis ſeorſum habitata, hæc omnibus modis depones [28], aperieſque eis alterutra ubi celebrent: quid enim formidabunt hoc agentes ſemetipſos dicantes Deo & abrenunciantes publicæ converſationi? & hoc quidem ita valere nunc & in futurum omne volumus tempus, nullo ut dictum eſt, habente habitaculum ſeorſum, ſed congregandis omnibus & inſpicientibus quæ ab alterutris aguntur. Certum eſt enim quia talia ſtudebunt ea conſtituere, qualia omnino inculpabilia manent. Si quis autem apparuerit tantum impudens, ut audeat tentare prævaricari quod ſancitum eſt, monaſterii præſul hæc examinet. Volumus enim vehementiorem quam nunc eſt, fieri obſervationem, & quidem primum non plurimos [29] eſſe in monaſterium ingreſſus, ſed unum, aut ſecundum forte, & adſtare januæ [30] viros ſenes & caſtos & teſtimonii boni ex omnibus, qui quidem neque reverendiſſimis monachis concedant ſine [31] abbatis voluntate exire monaſterium, (ſed inter eos detineant, quæ Dei ſunt zelantes, nec ſemetipſos lacerantes, nec actus, nec ſtudia) nec alios quoſdam introire monaſterium noctibus, & diebus ſinant, qui non rectam manere procurent venerabilium monachorum voluntatem. Sitque cautiſſima maceria munitum monaſterium, ut nullus exitus aliunde, niſi per januas, ſit.

CAP. II.

DEinde vel ſi ulla eccleſia in monaſterio ſit, neque ſic occaſione eccleſiarum, ingredi [32] & deambulationes licite illic facere, & confabulari cum quibus non convenit, ſed venire quidem tempore ſacri miniſterii, cum Abba ſuiſque prioribus & ſenibus, ſacrificioque completo omnes monachi rurſus ad cœnobium revertantur, ibique ſedeant, magnumque Deum honorent, & ſacris [33] ſcripturis incumbant. Plurimus itaque eſt horum librorum chorus [34], & poſſibile eſt unicuique animum corrigere, atque rigare ſacris ſcripturis, quas ſi [35] frequenter legent, nunquam decipientur, nec ad humanas deſcendent ſolicitudines. Quatuor autem vel quinque ſeniores [36] ex ipſo monaſterio eſſe in conſtituta eccleſia, quibus jam omnis exercitatio eſt expleta in continentia, & qui ordinationem habere meruerunt in clero presbyterorum forſan aut diaconorum aut deinceps habentium ſchema. Dicti enim & ſupervenientes alloquentur, & de divinis eloquiis diſputabunt [37], & putari omnes eſſe tales procurabunt, & cuſtodient ſacram domum, juventutem autem exardeſcentem, & ſuos terminos exilire volentem in continentia detinebunt.

CAP. III.

NOn ingredientur autem neque mulieres in [38] virile monaſterium, neque viri in fœmineum occaſione [39] mortui, & ibi ſepulti memoriam, vel per aliam cauſam. & maxime ſi quis fratrem forte vel ſororem aut aliquem ex genere habere in monaſterio dicat: cognatio enim monachis in terra non eſt, cœleſtem zelantibus vitam: quid enim volentes tales ingreſſus faciant, niſi voluerint aliquid agere interdictorum? cum liceat & viris convenientia in monaſteriis virilibus celebrare, & mulieribus ſimiliter diſtributa in muliebribus monaſteriis facere mulieres, nullo permixto alterutri, neque ſi forte frater eſſe dicatur: aut ſoror [40] aut cognatus alter. Neque enim per hanc occaſionem

1 Dixi de Samaritanis *Nov.* 129. 2 Olim fiſcus eam vindicabat *l.* 10. *C. de hæreticis.* nec id mirum. Novæ ſiquidem conſtitutiones eccleſiæ plerumque tribuunt, id [illegible]

17 *Nov.* 5. *cap.* 3. *Nov.* 123. *cap.* 36. 18 Monachi in commune degunt. [illegible]

ingredi

ingredi ſinemus aliquem. Si enim ipſa principia [1] abſcindamus, & per ipſum aſpectum inſitam animabus delinitionem, & ex hoc lapſum prohibeamus, erit multo poſſibilis ac facilior ſacris [2] decertatoribus melioris vitæ ſtatus. Omnes ergo huic legi obediant, & neque viri recondant in muliebri monaſterio ſepulchra, neque mulieres in virilibus aſceteriis fodiant. *Neque enim viros mulierum* [3] *ſtudia decent, neque rurſus virilia mulierum collegiis conveniunt.* Neque ex hoc propter defunctos turpes & mali principii tales permixtiones agi volumus, ut non iter ex hoc fiat naturæ apud ſe inhoneſte graſſari [4], & ludere, & divinas confundere cauſas, & pietatis quaſi velamine, & cognationis ſchemate hæc agere, quæ neque dicere neque cogitare ſingularem vitam eligentibus eſt bonum. Illo exiſtente manifeſto, quia neceſſarium eſt ſepulturæ miniſtrantes & maxime lectis [5], & fodientes non ingredi monaſteria, ſed in virilibus quidem monaſteriis cauſa facilis eſt: in muliebribus autem non ita, propter memoratam interdictionem. §. 1. Sancimus igitur, ſi quando aliquid futurum ſit tale fieri, & ſepeliri mulier in muliebri monaſterio, (virum namque non ſinimus) reverendiſſimas quidem fœminas in ſuo manere habitaculo, ſolam vero oſtiariam [6] & abbatiſſam forte ipſam, ſi voluerit intereſſe his quæ aguntur: & ipſos celerius illa agentes, quæ circa funus ſolennia ſunt, & ſepulchrum fodientes, & corpus obvelantes [7] repente diſcedere, neque videntes aliquas reverendiſſimarum mulierum, neque ab aliqua earum viſos. Sed neque aliquam excogitent occaſionem aut viri ad muliebria monaſteria ingrediendi, aut mulieres viris deputata occaſione horum quæ circa funus aguntur (quas utique memorias [8] vocant) in tertiam & nonam [9] convenientes diem, aut dum quadraginta compleantur, aut etiam annus, cum liceat, ſiquidem muliebre ſit monaſterium, mulieres omnia agere: ſi vero virorum viros: & non occaſione talium obſervationum inhoneſtatem quandam venerabilibus monaſteriis imponere.

CAP. IV.

QUia vero nihil quod ſancitur, niſi [10] cuſtodiam habeat competentem, poterit ſervari decenter, ſancimus per tempus uniuſcujuſque monaſterii præſulem [11] frequenter inſpicere & perſcrutari uniuſcujuſque converſationem & diſciplinam: & ſicubi aliquid parvum fiat, contra quam decet, hoc repente corrigere, & non ſinere majus fieri lapſum, & perire animam ad ſalutem converſationis confugientem. Monaſteriorum autem exarchus [12], ſi quis fuerit per loca, ſicut in hac feliciſſima civitate hæc ſolicite curet, & mittat eos qui appellantur reſponſarii [13] ejus per monaſteria, & requirat etiam vicinos [14], ne forte aliquid nequam in aliquo monaſteriorum proximo fiat, & hæc univerſa caſtiget, & competenti digna faciat providentia. Sed etiam uniuſcujuſque civitatis epiſcopus [15] hujus rei providentiam habeat ſive patriarcha, ſive metropolita ſive ſinguli ſunt epiſcoporum, & reverendiſſimos defenſores, qui mittant hæc requirentes & ſervantes, & non ſinentes, quicquam fieri extra quam decet: ſed & ſi quid fiat, velociter hoc emendare. Sanctiſſimus autem patriarcha feliciſſimæ hujus urbis de monaſteriis hic poſitis ſimiliter examinet & cuſtodes rei Deo amabiles eccleſiæ defenſores ſanctiſſimæ majoris eccleſiæ, & quos putaverit perfectos & honeſtiſſimos eſſe, conſtituat, ut per plures cuſtodia facta, adhuc amplior obſervatio & ſuper peccatis vindicta fiat.

CAP. V.

OPortet autem unumquodque monaſterium ſub abbate [16] conſtitutum habere (ſicut prædiximus) eos, qui vocantur *Reſponſarii* [17], viros ſenes & monachicum certamen ſuperantes, & non facile corporales injurias paſſuros, qui eorum rebus & eorum occupentur utilitatibus, & non ſolum ſi virorum ſit monaſterium, ſed etiam ſi mulierum contingant, eſſe duos aut tres viros, aut vel eunuchos [18], ſi poſſibile eſt, eſſe, aut ſenes & caſtitatis teſtimonium habentes, qui cauſas agant, & ineffabilem eis præbeant communionem [19], cum hujus tempus fuerit. Si vero de alia monaſterii utilitate, aut ad unam reverendiſſimarum aſcetriarum pertinente, dicere aliquid neceſſariorum voluerint, loquentur abbatiſſæ, & alteri penitus nulli fœminarum quæ in monaſterio ſunt, hæc per reverendiſſimas [20] oſtiarias agentes. Oportet enim tales aliquas ad januas ordinari, quæ ſimiliter ingreſſus & egreſſus in monaſterium inſpiciant & egreſſus prohibeant, & inacceſſibiles viris ingreſſus præterquam apocriſiariis conſtituant. Illi vero ad oſtiariam loquentur, & dicent ſuum adventum: abbatiſſæ vero per eas agnoſcentes & deſcendentes his loquentur, & illi referent ad illas de earum gubernatione aut utilitate pro qua venerint, & ita & quæ humana ſunt, agentur bene, & caſtitas permanebit undique a nullo tentata malo. Si quis autem deliquerit, (nam multa ſunt humana: & nullus [21] poteſt naturam ſic retinere, ut non peccet nihil, hoc enim proprium eſt ſolum Dei) hunc, ſi [22] quidem mediocre peccatum eſt, & monere & ſuſpendere & pœnitentiæ ei dare tempus, ut meliorem ordinem ſumens, mox revertatur ad ſemetipſum, & non quos jam poſuit, amittat labores. Si vero major culpæ ſit modus ſecundum commiſſum & medelam correctionis eſſe & rurſus admonitionem vehementiorem & pœnitentiam fortem exigere: & ſi quidem valuerit iſtis modis amovere lapſum, & corrumpi cœptum (hoc autem & in mulieribus converſis & viris dicimus) grates agere magno Deo, cum & in cœlo fiat magnum gaudium angelicis virtutibus, quando aliquis ſalvus fit peccatorum. Si vero potiores ultra medicinam cauſæ fiant, tunc etiam expelli [23] eum a monaſterio, quatenus dans ſemetipſum ex melioribus ad pejora, ipſe ſuis malis potiatur ſolus, & non per ejus malum etiam alii violentur, ſicut morboſorum [24] & inexcuſabiliter languentium jumentorum. Neque enim imperium deſpiciet hos negligi, neque retinebit indignationem adverſus abbatem, neque contra loci epiſcopum & ſub eo poſitos defenſores eccleſiæ, ſi non hæc obſervaverint, tanquam neceſſaria ſit etiam imperio rei diligentia. Si [25] enim illi puris manibus & nudis animabus pro republica ſupplicent Deo, manifeſtum quod & exercitus habebunt bene, & civitates bene diſponentur. Deo quoque placato & propitio exiſtente, quomodo non univerſa plena totius pacis & devotionis? ſed & terra nobis feret fructus, & mare quæ ſua ſunt dabit, illorum oratione propitiationem Dei ad omnem rempublicam deducente. Sed & ipſum commune ſchema hominum reverentius erit, & vivet melius, illorum erubeſcens *perdurationem* [26], ideoque una pariter conſpiratio erit, omnibus ſimul ad hoc concurrentibus, & in exilium miſſa quantum poſſibile eſt, malitia omni & melioribus & ſanctioribus ſtudiis introductis, & rebus ipſis decentibus, quod nos requirentes, cauſam agimus, ut putamus, utilem.

CAP. VI.

ILlud quoque omnibus ſervari volumus modis. Si viſus fuerit aliquis reverendiſſimorum monachorum & in aliqua tabernarum [27] converſari, hunc repente dari locorum defenſoribus, aut hic *glorioſiſſimis præfectis ſacrorum Prætoriorum*, & caſtigari convictum, & nuntiari hoc *Abbæ*, quatenus eum expellat [28] monaſterio qui talia deliquit, utpote in confuſionem vitæ angelicam hanc converſationem mutantem. Oportet enim duplex [29] hoc opus monachis eſſe, aut divinis vacare ſcripturis, aut quæ monachos decent (quæ vocant manuum [30] opera) meditari & operari. Mens enim fruſtra [31] vacans nihil bonorum parit. Pro his hanc ponimus legem & in hac regia civitate valentem & in gentibus omnibus. Utique ad ſingulos patriarcharum dirigimus eam ad cautelam obſervationemque competentem: illi vero ſub ſe conſtitutis metropolitis mittent. Illi quoque aliis omnibus innoteſcent epiſcopis & per epiſcopos omnia hæc reverendiſſimis monachis & abbatibus eorum fient manifeſta. Damus autem cauſæ obſervationem non ſolum abbatibus monaſteriorum ſingulorum, nec ſolum Deo amabilibus epiſcopis, nec ſanctiſſimis metropolitanis, neque ſanctiſſimis patriarchis, ſed hic quidem & tuæ [32] excellentiæ, ut ſi cujus cauſa egeat vehementioris correctionis, diſcentes a Deo amabilibus viris exequantur. In provinciis autem earum judicibus, primitus a Deo amabilibus epiſcopis, quod agitur agnoſcentibus, & ut ſint per omnia & perſonis ſacratis & magiſtratibus innoxia ea quæ ad Deum & præ cunctis imperio, tanquam nihil ſit ſanctius cuſtodiri rempublicam magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti clementia frui per reverendiſſimorum virorum puritatem. quam cuſtodient quoque clerici & monachi & epiſcopi majores & minores, ſacrorum memores canonum ſacrarumque legum & conſtitutionum de hoc ſcriptarum, quas & valere & gratas eſſe etiam per præſentem ſancimus legem.

EPILOGUS.

† Tua igitur beatitudo quæ placuerunt nobis, & per hanc ſacram declarata ſunt legem cognoſcens, operi effectuique tradere feſtinet. Dat. 17. Kalend. April. *Conſtantinop.* ARIONE [33] V. C. CONS.

TIT. XVII.

UT NULLI JUDICUM LICEAT HABERE LOCI [34] SERVATOREM [35], NISI CERTIS EX CAUSIS DIVINA CONCESSERIT JUSSIO [36].

NOVELLA CONSTIT. CXXXIV.

De Vicariis.

In nomine Domini Jeſu Chriſti Dei noſtri, Imperator Cæſar, Flavius Juſtinianus, Alemanicus, Gotthicus, Francicus, Germanicus, felix, pius, glorioſus, victor, triumphator, nunquam non colendus Auguſtus, Muſonio præfecto urbis.

PRÆFATIO.

QUæcunque ad utilitatem noſtrorum ſubjectorum, intentionem habentes ſemper, invenimus diverſas læſiones noſtris ſubjectis inferri ab emiſſis vicariis in provincias ab aliquibus civilibus & militaribus judicibus: & de hoc dudum legem ſcripſimus, particularem aliquam facientes rei emendationem.

CAP. I.

Ne ulli magiſtratuum liceat conſtituere vicarios.

NUnc vero perfecte juvare noſtros ſubjectos ſtudentes, ſancimus nullam licentiam habere pro tempore præfectos tam Orientis quam Illyrici prætoriorum aut comitem largitionum, aut comitem privatarum, locorum [37] ſervatores deſtinare in provincias, aut ipſos provinciarum judices facere, & proprii cinguli loci ſervatores emittere. Sed neque vicaneos judices in creditis eis provinciis loci ſervatores emittere in qualibet civitate. Solum vero jubemus eſſe loci ſervatores præfecturæ in Hosdruma [38], & in Meſopotamia, & ſi neceſſitas vocaverit:

1 Principiis obſta. Principia delinquendi abſcindenda. adde *l.* 6. §. 9. *ff. de injuſto.* 2 Agoniſtæ ſacri, monachi, velut in ſacro certamine currentes, alludit autem ad veterum ſacra certamina (de quibus vide *l.* 4. *in pr. ff. de his qui notantur infamia.*) Olympia, Iſthmia, Pythia, Nemæa. 3 Mulierum ſtudia viris indecora: ut & virorum mulieribus. 4 Τευφᾶν. 5 Id eſt, & maxime eos, qui feretra deportant, quique defodiunt. 6 Μόνην δὲ τὴν θυρωρὸν ἢ τὰς θυρωροὺς καὶ τὴν ἡγουμένην, *Græci hic.* Janitrices & oſtiariæ fuerunt quædam monialium. de qua *c.* 5. *infr. hic.* 7 Vid. Tertull. *lib. de velandis virg.* 8 Ας δὲ καλοῦσι μνήμας. Memorias & preces ſolennes defunctorum nomine tunc fieri ſolitas intelligit. 9 Novendiale ſacrum mortuorum quid eſſet, dixi ad *Novell.* 115. *c.* 5. §. 1. 10 Parum eſt leges promulgari, niſi aliquis earum vindex & cuſtos conſtituatur. *Nov.* 26. *cap.* 1. *l.* 2. §. 13. *ff. de orig. jur.* 11 Προεστῶτα. 12 Ἔξαρχοι μοναστηρίων. Exarchi monaſteriorum: *les Prieurs.* 13 De quibus vide *c.* 5. *ꝟ. hic.* 14 Vicinus enim præſumitur ſcire factum vicini, *l.* 9. *C. de nuptiis.* 15 Epiſcopis cura monaſteriorum incumbit. 16 Ὑπὸ ἡγούμενον τελοῦν. *Græci hic.* 17 Τοὺς λεγομένους ἀποκρισιαρίους. *c.* 2. *c.* 4. *ꝟ. hic.* de apocriſiariis dixi ad *Nov.* 123. *c.* 25. 18 Minus enim ſuſpicionis eſt in eunucho, quam in alio. Ideoque regio cubiculo ut ſæpius miniſtrabant Eunuchi, unde & Eunuchi dicti: quod εὐνὴ ſit cubile; ἔχω, cuſtodio. Ea re factum, ut Eunuchi ſervi pretium veteribus inter omnia mancipia ſummum eſſet. *l.* 1. §. 5. *verſ. Sin vero. C. de communi ſervo manumiſſo.* 19 Τὴν ἄῤῥητον αὐταῖς διαδώσουσι κοινωνίαν. *Scrimg.* ἁγίαν. *l.* 44. *pr. C. de epiſc. Nov.* 123. *c.* 36. Sacram itaque communionem moniales ſumebant ut plurimum a ſenibus & Eunuchis monachis. 20 Janitrices monialium, ingreſſus & egreſſus monaſterii obſervabant, & cum adventantibus loquebantur. *c.* 3. §. 1. *ꝟ.* 21 Nihil eſt omni ex parte beatum, vid. *conſtitutionem de conceptione Digeſt.* §. 14. 22 Gradus delictorum monachorum. 23 Pœna monachica, expelli a monaſterio, ut *c.* 6. *ꝟ. hic.* 24 Morboſi monachi pœna, ab aliis ſeparari, Cato *c.* 2. ferramenta vetera, ſervum ſenem, ſervum morboſum, & ſi quid ſuperſit, vendat. 25 Operæ Dei miniſtrorum quænam ſint, *l.* 42. *Cod. de epiſc.* 26 Καθαρότητα, id eſt, puritatem. 27 Εἰς τὸ καπηλεῖον ἀναστρεφόμενος. *Scrimg.* in cauponam, fruſtra hoc non dicit, nam & tabernariæ inter abjectas perſonas numerantur. *l.* 7. *C. de inceſtis.* ſolentque vulgo proſtitui *l.* 4. §. 2. *ff. de his qui notantur.* In tabernis etiam adſolent quæſtuaria mancipia eſſe, *l.* 43. §. 9. *ff. de ritu nupt.* 28 Expelluntur interdum monaſterio monachi, *ut hic. & c.* 5. *ꝟ. hic.* tantum abeſt ut illic perpetua cuſtodia detineantur. 29 Duplicia monachorum opera *c.* 2. *ꝟ. l.* 34. *Cod. de epiſc. audient.* 30 Ἐργόχειρα. Aug. *in Pſalm.* 99. *& lib. de opere monach. c.* 20. *verſ.* 341. dicuntur Euchitæ opinari, monachis non licere ſuſtentandæ ſuæ vitæ cauſa aliquid operari, atque ita ſeipſos monachos profiteri, ut omnino ab operibus vacent. Auguſt. *ad Quod vult deum de hæreſib.* hujuſmodi ignaviæ ſectatores leges deteſtantur atque puniunt, *l.* 26. *C. de decur.* 31 Id eſt, otio. 32 *l.* 44. §. 3. *Cod. de epiſc.* 33 Apione, id eſt, anno 539. 34 Et vicarios *Nov.* 8. *c.* 4. 35 Περὶ τοποτηρητῶν. *Scrimg.* de vicariis, ſeu locum tenentibus, *Jul. conſt.* 126. de quibus dicam plenius *c.* 2. *ꝟ.* 36 Sunt & alia capita, de quibus hic tractatur. 37 De ea re dixi ad *Nov.* 8. 17. 118. 130. 38 Ὀσδροηνῇ, Oſdroena.

NOVELL.

in

in aliis locis tempore expeditionis pro nutrimento eis deſtinato: & hoc quidem per noſtram juſſionem. His inſuper jubemus, ut neque magiſtri militum, neque duces in provinciis, in quibus adminiſtrare juſſi ſunt, loci ſervatores, aut biocolytas [1], aut latronum expulſores habeant. Si vero contigerit, neceſſitate faciente, ſive magiſtros militum, ſive duces deſtinari per noſtram juſſionem in aliis locis, tunc fieri loci ſervatores abſentes, & hoc ſecundum noſtram præceptionem. Nulli vero liceat civili aut militari judici circumire provinciam ſine cauſa neceſſaria. Si vero aliqua neceſſitas vocaverit tale aliquid fieri: expenſis propriis hoc facere jubemus tam judices quam competens & obediens eis officium. Neque vero angariis [2], aut iis quæ vocantur epidemiticis [3], aut alio quolibet diſpendio gravare noſtros ſubjectos: neque conſuetudines nominare, aut quærere, quas forſitan aliqui prædictorum in proprium lucrum injuſte adinvenerunt. *Male enim adinventa malæque conſuetudines, neque ex longo tempore, neque ex longa [4] conſuetudine confirmantur:* ſcientibus omnibus prædictis judicibus civilibus & militaribus, quod ſi aliquid præter hoc fiat, & qui facit, ſi loci ſervator eſt, viginti librarum auri inferet pœnam, & cingulo ſpoliabitur: & qui fieri ſe acquievit, cadens propria ſubſtantia exilio ſubjicietur.

CAP. II.

AD majorem autem noſtræ diſpoſitionis cautelam, jubemus per loca epiſcopos, & provinciarum rectores, & eos qui civitates habitant, nullum contra præſentem noſtram diſpoſitionem ſuſcipere biocolytam [5], aut latronum perſecutores: omnino enim nullum judicum civilium aut militarium conſtitutum in provincia, habere loci ſervatorem concedimus. Præcipue quidem jubemus provinciarum rectores ſic recte converſari, aut res gubernare, ut non neceſſitas fiat de qualibet re debente queri, aut gubernari, ad provincias aliquem deſtinari. Si vero opus fuerit transmitti aliquos in provincias occaſione publicarum exactionum, aut quarumlibet emergentium querelarum, neque ordinem, neque nomen habere loci ſervatoris. Deſtinatus vero in provinciam nullum ſubjectis inferat diſpendium: creditum vero ſibi opus adimpleat, judice provinciæ eum & ejus officium adjuvante. Si vero contra ipſum judicem forte accuſatum transmittatur; tunc jubemus & provinciale officium obedire ei. Quemadmodum enim prohibemus loci [6] ſervatores fieri: ita omne periculum jubemus habere judices provinciarum, & eorum officium: ut ſolicitudinem faciant tam publicarum exactionum, quam locorum quietem: & ut omnis injuſtitia & læſio ſuſpendatur. In quibus vero provinciis aut judices [7], aut exactores ſunt fiſcalium, & opus habuerint aliquo adjutorio: jubemus judices provinciarum & officia eorum omne ſolatium & ſtudium eis conferre, ut ſine impedimento fiſcalium exactio procedat. Et omnes quæ motæ fuerint ſive civiles ſive criminales cauſæ, & competentes provinciarum judices ipſos jubemus inquirere, ut illi proprio periculo has diſcutiant, & legitimum finem eis imponant. Super hoc autem jubemus provinciarum judices mox qui futuri ſunt cingula ſuſcipere, ſive præſentes, ſive abſentes ſint, cautelam impendere, tam præfecturæ, quam noſtris largitionibus, & comiti privatarum pro inferendis pecuniis unicuique prædictarum dignitatum: cum etſi non caveant, tanquam facientes cautelam, ita jubemus eos & eorum officia ſubjacere prædictis dignitatibus. In illis vero civitatibus & provinciis volumus judices periclitari pro fiſcalibus, & exigi, in quibus neque ſcriniarii [8], neque judices [9], neque alii quidam proprio periculo exactionem faciunt.

CAP. III.

ET hoc pervenit ad nos, quod quidam provinciarum judices ita inique agunt, occaſione vilium lucrorum; ut neque teſtamenta [10] concedant facere, neque facta inſinuare [11], neque nuptias [12] aliquas facere, aut ſuper nuptialibus donationibus monumenta [13] componere, neque defunctorum [14] corpora ſepulturæ tradi: neque rerum deſcriptionem [15] concedunt fieri, aut aliud quid hujusmodi agi aut ex geſtis aut ex teſtimoniis. Propterea interdicimus omnibus judicibus tam civilibus quam militaribus & eorum officiis aut alii cuilibet tale aliquid præſumere. Si vero quidam hujusmodi odibilem rem in quolibet loco noſtræ reipublicæ præſumpſerit agere, aut miniſtrare ei qui hoc præſumpſerit facere: jubemus hujusmodi extra cingulum factos in exilium deſtinari: & de ſubſtantia eorum eveniens diſpendium, læſis in duplum reſtitui: non ſublato ab eis neque alio quidem ex legibus adjutorio. Omnem vero damus licentiam locorum ſanctiſſimis epiſcopis, & primatibus civitatum, hujusmodi præſumptiones prohibere: & ſtudere, ut hæc omnia ſine impedimento & ſine diſpendio ſecundum legum virtutem procedant, & de his nobis nuntiare. Illas vero quæ ſecundum leges offeruntur appellationes [16] ſuſcipere volumus omnino judices, & eos qui ſecundum noſtram juſſionem ſpecialiter (quia & a divinis licet appellare judicibus) audiunt, ſive majores, ſive minores ſint: & edere geſta [17] ſine aliqua dilatione [18] litigantibus, ut quæſtio legitima de his procedat. Super hoc jubemus appellatione [19] porrecta ſecundum leges, neque exactionem fieri [20], neque poſſeſſiones rerum transferri, usque ad definitum ſuper ea judicium.

CAP. IV.

QUoniam vero [21] contingit adulteria, aut raptus mulierum, aut homicidia, aut alia quælibet crimina in provinciis committi: jubemus provinciarum judices omnia ſecundum leges vindicare, & peccantes tenere, & non alios pro aliis, aut ex quibus nati ſunt vicis qui crimina præſumpſerunt, alium pro [22] alio comprehendere, aut damnum inferre vicis, ſed neque pignorationes facere propter peccantem, aut criminis vindictam proprii lucri cauſa inferre, aut delinquentium res proprium lucrum facere. Nos enim reos quidem ex legibus pœnas ſuſtinere volumus: damna vero ſubjectis noſtris, aut lucrum ex hoc judicibus aut eorum hominibus ſive officialibus fieri nullatenus concedimus, ut ne propter rerum deſiderium inveniantur injuſte aliquos caſtigantes, aut peccantes vendere. Si enim præter hæc fiat: ipſe provinciæ judex omne ex hoc accidens damnum læſis medebitur: & ſuppliciis ſubjectus, exilio tradetur: & conſiliarius ejus ſimile ſuſtinebit ſupplicium, ſi factis a judice contra leges, in ſcriptis conſentiat. Officium vero ejus, & alii qui circa hoc propter lucrum proprium ei obſecundant: non ſolum damna læſis compellentur reſtituere: ſed culpabiliores eorum legalibus ſuppliciis ſubjecti, exilio tradentur.

CAP. V.

Ut rei criminum edictis legitimis evocentur.

SI [23] vero quis comprehenſorum criminum latuerit, aut reliquerit provinciam illam [24] in qua crimina deliquit, jubemus legitimis [25] edictis [26] a judice evocari [27] eum: & ſi non obediat, illa in eum procedere quæ noſtris legibus definita ſunt. Si vero cognoſcatur quod in alia [28] provincia degit, jubemus provinciæ illius judicem in qua peccari quid hujusmodi contigerit, epiſtola publica [29] uti ad provinciæ illius judicem, in qua delinquens perſona degit, illum vero qui publicas [30] ſuſceperit literas, & periculo [31] ſuo & officii ſui comprehendere hujusmodi & ad judicem provinciæ transmittere in qua peccavit, ſuppliciis legitimis ſubjiciendum. Si vero qui publicam epiſtolam ſuſcepit, neglexerit hoc facere, aut officium ejus tradere, aut imperata neglexerit: tunc & ipſum judicem tres auri libras, & officium ejus alias tres pro pœna inferre jubemus. Si vero judex aut aliquis officii ejus propter lucrum hujusmodi perſonam non comprehendat, aut comprehendens non transmittat, & hoc agens convincatur: ſpoliatus cingulo, exilio tradatur.

CAP. VI.

Ut judex compleat quod deceſſori mandatum eſt.

ET hoc vero jubemus obſervari ab omni adminiſtratore, ut ſi contigerit in ſcriptis noſtram juſſionem fieri ad aliquem judicem, & interea iſte quieſcat ab adminiſtratione: is qui poſt illum ſuſceperit dignitatem, accipiat [32] eam, & inſinuet, & ſiquidem privata eſt cauſa: & implere eam, & aſſequi quemadmodum ad eum promeruit reſcriptum. Si vero hujusmodi in ſcriptis juſſio publicum reſpicit, inquirat eam, & ſiquidem non lædatur fiſcus, quæ in ea comprehenſa ſunt, adimpleat. Si vero ad læſionem eſt fiſci, nihil ſuper ea omnino agi: nuntiare vero nobis primum, ut ſecunda noſtra fiat de hoc juſſio. Si vero & præcepta cujuslibet judicis ſint, & priusquam inſinuentur hæc, aut præcipientem, aut ad quem præcepta facta ſunt, contigerit removeri de cingulo: ſic qui factus fuerit judex, hæc ſuſcipiat & exigat, ſi legitime facta ſunt: ſi vero contra legem, aut contra publicum facta ſunt, hæc pro non ſcriptis eſſe jubemus.

CAP. VII.

Ne quis creditor filium [33] debitoris pro debito retinere præſumat.

QUia [34] vero & hujusmodi iniquitatem in diverſis locis noſtræ reipublicæ cognovimus admitti, quia creditores filios debitorum præſumunt [35] retinere aut in pignus, aut in ſervile [36] miniſterium, aut in [37] conductionem [38]: hoc modis omnibus prohibemus: & jubemus, ut ſi quis hujusmodi aliquid deliquerit, non [39] ſolum debito cadat, ſed tantam aliam quantitatem adjiciat dandam ei qui retentus eſt ab eo, aut parentibus ejus, & poſt hoc etiam corporalibus [40] pœnis ipſum ſubdi a loci judice: quia perſonam liberam pro debito præſumpſerit retinere, aut locare, aut pignorare.

CAP. VIII.

De interceſſionibus mulierum.

ET illud vero prævidimus pro ſubjectorum utilitate corrigere, ut ſi [41] qua mulier crediti inſtrumento conſentiat proprio viro, aut ſcribat, & propriam ſubſtantiam aut ſeipſam obligatam faciat: jubemus nullatenus [42] hujusmodi valere aut tenere, ſive ſemel, ſive multoties

1 Vid. *Nov.* 8. *c.* 13. 2 *Nov.* 17. *c.* 9. 3 Ἐπιδημητικοῖς, ſunt pretia, quibus ſe provinciales ab onere hoſpitum ſuſcipiendorum redimunt. *l. ult. C. de metatis & epidemet.* adde *Nov.* 129. 4 Conſuetudo prava non eſt toleranda, & ita argumentum a prava conſuetudine non ſubſiſtit. 5 *Nov.* 8. *c.* 13. 6 Τοποτηρητάς. *Scrimg.* τοποτηρηταὶ ſunt loci ſervatores. *Novell.* 8. *c.* 4. & 17. *c.* 10. & 128. *c.* 20. defenſores civitatum ſeu plebis, *l.* 1. *C. de off. juridic. Alexand.* non ſunt vindices *ut infr. dicetur.* τοποτηρητὴς εἶδος ἀξιώματος. *Suidas.* loci ſervator Paulo Monacho 6. *hiſt. Longobard.* & in *l.* 27. *de furtis, C. Longobard.* loci judex *l.* 2. *C. de exhib. reis*, vicarius & locum tenens Jul. *hic conſt.* 126. mittebatur autem a præfectis Prætorio, vel Comitibus, vel præſidibus juris dicendi cauſa. vid. Cujac. 3. *obſ.* 14. adde quæ de iis notavi ad *Novell.* 8. *c.* 4. 7 Ἡ βίνδικες ἢ ἐκλήπτορες. *Scrimg.* id eſt, vindices. de vindicibus quædam dixi ad *Novell.* 128. *c.* 8. *in fin.* Sunt exactores tributorum, inſtituti in ſingulis civitatibus ab Anaſtaſio, *teſte* Nicephoro 16. *cap.* 44. ita dicti, quod oppoſiti ſint decurionum iniquis exactionibus. His ſunt affines canonicarii, de quibus dixi *Nov.* 128. *c.* 6. ita dicti quod exigendis canonibus præfecti, differunt tamen ab iis, qui hic dicuntur τοποτηρηταὶ, *de quib. ſ. dixi.* Vindices, alia ſignificatione ſunt defenſores civitatum, *l.* 1. *C. Th. ſi quavis præditus poteſtat.* 8 Iidem qui & canonicarii, dixi ad *Nov.* 128. *c.* 6. 9 Μηδὲ βίνδικες. 10 Teſtamentum inter liberos actus numeratur *l.* 1. *C. de ſacr. eccleſ.* 11 Ἐμφανίζεσθαι. Teſtamenta inſinuantur. 12 Nuptiæ inter liberos actus referuntur. *l.* 134. *ff. de verb. oblig. l.* 14. *C. de nuptiis.* 13 Ὑπομνήματα συντάττεσθαι, donationem inſinuare ante nuptias, *Jul.* indulget enim ex parte viri inſinuationes *Nov.* 127. 14 Vid. *Nov.* 60. 15 Ἀναγραφὴν, inventarium fieri. Jul. *hic.* 16 *Nov.* 82. *c.* 13. 17 Et apocham tribuere Jul. *hic.* 18 Fruſtratoria ſcil. *l.* 1. *C. de relationib. l.* 6. *in fin. C. de appell.* alias 30. dies dantur in edendis actibus, *Nov.* 126. *c.* 3. adde *l.* 24. *C. de appell.* 19 Interpoſita appellatione nihil innovandum. *l.* 3. *C. quando provoc. non eſt neceſſe. l.* 7. *in fin. ff. de mulieribus & hon. leg.* 1. *ff. nihil innovari.* 20 Id eſt, interpoſita appellatione ſententiæ executio & translatio poſſeſſionis ſuſpenditur. Idem fit poſtulata reſtitutione in integrum, *l. un. C. in integ. reſtit. poſtulat.* non etiam poſtulata retractatione. 21 Vid. Rittershuſ. *part.* 3. *cap.* 7. Anſ. 22 Ex cauſa criminali alius pro alio teneri non poteſt, licet ſit concivis, aut contribulis, *ut hic:* licet propinquus *l.* 22. *C. de pœnis.* Idem eſt in cauſa civili. *Nov.* 52.

128. 23 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Si vero. C. ad l. Jul. de adulter.* Goth. Ad intellectum hujus loci vid. Zanger. *de Except. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 201. Anſ. 24 Et in ea forum ſortitur. *Novella* 69. *cap.* 1. *l.* 1. *C. ubi de criminib.* 25 Per triduum ſcil. vid. *l.* 10. *ff. de publicis judiciis.* 26 Νομίμοις κηρύγμασι. *Scrimg.* vid. *l.* 1. §. 2. *ff. de requirend. reis.* Galli *adjourner à ſon de trompe & cri public.* 27 Adnotari *leg.* 6. *Cod. de accuſationibus.* citari *d. l.* 10. adde *leg.* 3. *ff. de cuſtod. reor.* 28 Quid agendum ſit judici, reo criminis agente in alia provincia, nec comparente ad edictum. 29 Epiſtola publica ἐπιστολὴ δημοσία. *Scrimg.* de hujusmodi litteris dixi ad *Novell.* 17. *c.* 14. vid. *Edict.* 13. *c.* 23. Judex criminis admiſſi, vel rei, literas mittere ſolet ad judicem alterius territorii, in quo citandus domicilium habet, ut futuram litem illi ſignificet, & proinde admoneat citandum, ut reſponſurus veniat libello actoris, vid. Gail. 1. *obſ.* 56. *n.* 5. Plura vide apud Rebuffum *tom.* 2. *tract. de literis requiſitoriis ſeu rogatoriis.* Hujusmodi litteris utimur in ſententiis extra territorium exequendis, *l.* 13. §. 3. *Cod. de judiciis. l.* 15. §. 1. *ff. de re judicata.* adde Hartmannum 2. *obſ.* 1. *n.* 6. & in evocandis plerumque teſtibus *l.* 3. *in fin. ff. de teſtibus.* 30 Ἐπιστολὴν δημοσίαν. 31 Pœnam judicis non deferentis literis requiſitoriis aut compulſoriis obſerva. 32 Et merito, nam licet mutetur præſes, idem tamen judicium manet atque tribunal, *l.* 10. *ff. de off. proconſ. l.* 76. *ff. de jud.* 33 *Nov.* 52. adde *tit. C. ne filius pro patre.* 7. *Ecl. ex l.* 23. *tit.* 2. *c.* 2. *fol.* 76. 34 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Imo a debito. C. de oblig.* 35 *l.* 12. *C. de oblig.* 36 *d. l.* 12. 37 Græci ita legunt μισθὸν, hoc eſt elocationem pro mercede. 38 Vid. quæ notavi ad *leg.* 1. *ff. ad leg. Fab. de plag.* 39 d. Authentica, *Imo a debito.* 40 In exilium mittitur. Sic Julianus patricius *conſt.* 125. *c.* 2. adde *d. l.* 1. *in pr. ibi; liberum hominem.* 41 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Si qua mulier. C. ad SC. Velleian.* Goth. Vid. Rittershuſ. *Expoſ. part.* 2. *c.* 9. *num.* 12. Anſ. 42 Uxor pro viro obligari nullo modo poteſt, etiamſi interceſſionem ſæpius confirmet; niſi pecunia accepta in rem ejus propriam verſa ſit, *in fin.* ℐ. *hic.* Niſi ſtatuto, vel conſuetudine aliud ſit receptum. Hinc fit, ut in Gallia mulier pro marito poſſit fidejubere, ſi prius tamen Velleiano renunciaverit, vid. Paponem 12. *Arreſt.* 3. Gailius 2. *obſ.* 90. refert in Germania receptum eſſe, ut uxores mercatorum quaſi ſociæ pro maritis teneantur. Quid ſi pro alio obligantur, juvantur tamen Velleiano, niſi poſt biennium obligationem confirmaverint, *leg.* 22. *C. ad SC. Velleian.* adde *Nov.* 61. *c.* 1. §. 2. *l.* 2. *ff. ad SC. Velleian.* An maritus pro uxore obligari poſſit, vid. Gailium *d. loc.*

hujus-

hujusmodi aliquid pro eadem re fiat: ſive privatum ſive publicum ſit debitum: ſed ita eſſe ac ſi neque ſcriptum eſſet: niſi manifeſte probetur, quia pecuniæ in propriam ipſius mulieris utilitatem expenſæ ſunt.

CAP. IX.

Ne mulieres in carceribus includantur.

NEceſſarium [1] vero credimus & illud competenti adjutorio emendare [2], ut nulla mulier [3] de [4] qualibet re [5] includatur [6], aut cuſtodiatur: ſed ſi quidem pro fiſcalibus debitis aut privatis pulſetur, ſecundum legem mulier aut per [7] virum ſuum, aut per ſe, aut per quam voluerit perſonam legitime reſpondeat, & tranſigat rem. Si vero vidua ſit, aut non [8] a principio viro conjuncta: liceat ſimiliter mulieri aut per ſe aut per quos voluerit propria jura proponere ſecundum legem. Eum vero qui præter hæc præſumpſerit agere aliquid prædictorum, jubemus ſiquidem majores judices ſint, viginti auri librarum: ſi vero minores ſint, decem librarum auri pœnæ ſubjacere: obedientes autem eis in prædictis cauſis, ſpoliatos cingulo, pœnis ſubjici, & in exilium deſtinari. Si vero mulier poſt legitimam admonitionem noluerit inſtituere aliquem, qui pro ea reſpondeat, aut litigans addicta ſit, nec ſic includi aut cuſtodiri eam, ſed legitima jura in competentibus ei rebus procedere. Si vero crimen ſit quod infertur mulieri, in quo neceſſarium eſt ipſam cuſtodiri: ſiquidem fidejuſſorem perſonæ præſtare poteſt, ipſi credatur. Si vero juraverit *non poſſe ſe dare fidejuſſorem*, juratoriam [9] cautionem faciat, de obſervatione judicii. Si vero graviſſimum inveniatur crimen in quo accuſatur, in monaſterium [10] aut in aſceterium mittatur: aut mulieribus tradatur, per quas poteſt publice & libere cuſtodiri, donec cauſa ejus manifeſtetur: tunc autem illa procedant in eam, quæ legibus definita ſunt. Nullam enim mulierem pro pecunia fiſcali ſive privata cauſa, aut pro criminali quolibet modo, aut in carcerem mitti concedimus, aut a viris cuſtodiri: ut non per hujusmodi occaſiones inveniantur circa caſtitatem injuriatæ. Monaſtriam quidem aut aſcetriam per nullam actionem trahi [11] concedimus de propriis monaſteriis aut aſceteriis.

CAP. X.

Quæ ſit mulieris adulteræ pœna.

SI [12] quando vero adulterii crimen probetur; jubemus illas pœnas peccantibus inferri, quas Conſtantinus [13] divæ memoriæ diſpoſuit [14]: & illis ſimilibus ſubjiciendis pœnis, qui medii [15] miniſtri hujusmodi impio crimini facti ſunt. De ſubſtantia vero adulteri, ſi habeat uxorem, dotem & propter nuptias donationem ei ſalvari: aut partem a noſtra lege datam, ſi dotalia inſtrumenta non ſubſequuta ſunt. reſiduam vero ejus ſubſtantiam, ſiquidem ſint aſcendentes aut deſcendentes usque ad tertium gradum, accipiant hi ſecundum ordines & gradus. Si vero non ſunt hujusmodi aliqui, fiſco [16] applicari hæc jubemus. Adulteram [17] vero mulierem competentibus vulneribus ſubactam, in [18] monaſterium mitti: & ſi quidem intra biennium recipere [19] eam vir ſuus voluerit, poteſtatem ei damus hoc facere, & copulari ei, nullum periculum ex hoc metuens: & nullatenus [20] propter ea quæ in medio tempore facta ſunt, nuptias lædi. Si vero prædictum tempus tranſierit, aut vir, priusquam recipiat mulierem, moriatur, tonderi eam, & monachicum habitum accipere, & habitare in ipſo monaſterio in omni propriæ vitæ tempore: & ſi quidem habeat deſcendentes, duas partes [21] accipere eos ſubſtantiæ, ſecundum legum ordinem diviſas, reliquam vero tertiam partem monaſterio, in quod mittitur, dari. Si vero deſcendentes non fuerint, ſed aſcendentes inveniantur non conſentientes hujusmodi iniquitati: quatuor uncias eos ſecundum leges diviſas accipere: octo vero uncias dari monaſterio in quo includitur hujusmodi mulier. Si vero neque deſcendentes neque aſcendentes habeat, aut aſcendentes conſenſerint hujusmodi iniquitati: omnem ejus ſubſtantiam accipere monaſterium illi conſervandam: ut per omnes caſus viro pacta dotalibus illata inſtrumentis ſerventur.

CAP. XI.

Pœna injuſti repudii.

QUia [22] vero aliqui noſtram legem [23] tranſcendere ſtudent, in qua evidenter cauſas enumeravimus, ex quibus ſolum repudia poſſunt transmitti aut a viro, aut a muliere, jubemus præter illas cauſas nullo modo repudia fieri, aut per conſenſum [24] nuptias ſolvi, & concedere invicem delictis. Si [25] vero præter a nobis definitas cauſas præſumpſerint aliqui ſolvere matrimonium: jubemus ſi quidem deſcendentes habuerint ſive ex ipſo, ſive ex alio matrimonio, ſubſtantiam eorum illis dari ſecundum legum ordinem, & tam virum quam mulierem in monaſterium [26] mitti in omnibus vitæ ſuæ temporibus & de ſingulorum facultatibus quaternas uncias monaſteriis, in quibus mittuntur, ſeparari: viro nihilominus neque [27] uſum habente datæ partis filiis: quoniam pater rerum filii in poteſtate poſiti non habet uſumfructum. Si vero deſcendentes non habeant, ſed aſcendentes inveniantur: tertiam partem ſubſtantiæ accipere eos, ſi non iniquitati ſolutionis matrimonii conſenſerint, duas vero partes monaſteriis, in quibus unusquisque mittitur, ſeparari. Si vero neque deſcendentes neque aſcendentes inveniantur, & aſcendentes conſenſerint facto: jubemus omnem ſubſtantiam monaſteriis, in quibus miſſi ſunt, dari: ut non propter hunc contemptum, & Dei judicium contemnatur, & noſtra lex transgrediatur. Sed & miniſtros talis ſolutionis nuptiarum, aut qui hujusmodi infanda inſtrumenta compoſuerint [28], corporalibus pœnis ſubjici jubemus, & in exilium deſtinari. Si vero ii qui matrimonium ſolvere præſumpſerunt, voluerint iterum [29] ſibi conjungi priusquam mittantur in monaſterium: licentiam eis damus hoc facere, & prædictas pœnas concedimus eis, & proprias habere ſubſtantias, & ita adinvicem vivere, tanquam ſi nihil delictum fuiſſet. Uno vero volente matrimonium revocare, ſi non conſentiat alia perſona, contra [30] eum qui noluerit teneant pœnæ. Hæc vero omnia ſervari jubemus tam in regia hac civitate quam in provinciis, tam a comite privatarum, quam a Palatinorum ſchola, & provinciarum judicibus & officiis eorum: ſcientibus quod ſi neglexerint hujusmodi alicujus delicti, & non omnia hæc cuſtodierint, & exilium & proſcriptionem bonorum ſuſtinebunt. Hæc vero jubemus ſervare locorum ſanctiſſimos epiſcopos [31], ut providentia eorum traditæ perſonæ in monaſteriis mittantur: & de rebus earum quod a nobis definitum eſt, monaſteriis vindicetur.

CAP. XII.

SI quis vero accuſatus de adulterio, per proditionem judicum, aut alio quolibet modo a legibus pœnas effugerit, & poſt hoc inveniatur cum muliere, de qua accuſatus eſt, turpiter converſatus, aut in matrimonium accipere eam, & hoc fiat vivente marito, aut poſt [32] ejus mortem: neque matrimonium valere jubemus: ſed eum qui hoc delinquere præſumpſerit: & ſi prius profugerit, attamen licentiam damus omni judici & comprehendere eum, & poſt tormenta ultimis ſuppliciis ſubjicere: nulla alia excuſatione aut probatione facienda: & mulierem caſtigatam, & detruſam monaſterio immitti jubemus: & ibi manere in omne tempus propriæ vitæ: utriusque vero ſubſtantiam ſecundum prædictum ordinem dividi periculo (ſicut prædiximus) tam comitis privatarum quam judicis loci.

CAP. XIII.

De pœnarum omnium moderatione.

QUia [33] vero nos oportet humani generis infirmitatem protegere: corporales pœnas ſecundum aliquas partes imminuentes, interdicimus alterutras [34] manus aut pedes [35] abſcindi, aut hujusmodi quædam inferri ſupplicia, per quæ articuli [36] diſſolvuntur: quia membrorum diſſolutio gravior eſt utriusque manus abſciſſione. Propter quod jubemus, ſi quidem tale aliquid delinquatur, unde leges mortem delinquentibus inferunt, ſecundum legum virtutem ſuſtinere eum pœnas. Si vero tale fuerit crimen quod morte dignum non ſit, ipſe aut caſtigetur aut in exilium transmittatur. Si vero criminis qualitas membri abſciſſionem exigat fieri: unam ſolam [37] manum [38] abſcindi.

1 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Hodie*, *C. de cuſtod. reor.* adde 6. *Ecl. c.* περὶ γυναικῶν. *ibid. in fin.* [illegible] 2 Et ita abrogatur *lex* 3. *C. de cuſtod. reor.* 3 Aliud in maribus. *l.* 1. *C. qui bon. cedere.* 4 Id eſt, ob quamlibet rem civilem vel fiſcalem. 5 Etiam criminali *verſ. ſi vero crimen infr.* 6 Invitæ etiam domo abſtrahi non poſſunt, & in publicum educi, *l.* 1. *Cod. de off. diverſ. jud.* 7 Uxor in jus vocata per maritum ſuum vel alium reſpondere & rem legitime tranſigere poteſt. 8 Id eſt, ſi virgo ſit. 9 Juratoria cautio, ſubſidium fidejuſſionis. *Nov.* 112. *cap.* 2. 10 Utcunque cauſa ſit criminalis, & quidem atrox, mulier tamen non conjicitur in carcerem jure civili, ſed vel monaſte- [illegible]

[illegible] *de adulteriis.* maritum vero dotem lucrari. 6. Harm. 1. *de bonis adulteræ*, vid. *verſ. ſi vero.* ibi *ſi quidem habeat infr. hic.* 19 Redintegrari poteſt matrimonium cum adultera, quod olim non licuit. *l.* 37. *in fin. ff. de minor.* 20 Redintegrati matrimonii effectus. 21 Hinc & ex ſequentibus poſſis colligere, Maritum nihil lucrari ex bonis uxoris adulteræ: ut quæ deſcendentibus & aſcendentibus & monaſterio certo gradu atque ordine diſtribuantur; de ea re dixi ad *Novell.* 117. *c.* 13. adde 6. Harm. 2. de jure in ea re veteri vid. Ulp. 6. §. 12. 22 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Idem eſt. C. de bon. quæ lib.* Goth. Vid. Rittershuſ. *part.* 12. *cap.* 6. Anſ. 23 *Nov.* 117. *c.* 9. 10. 24 Conſenſu mutuo nuptiæ non diſſolvuntur, etiam ſi naturale ſit, unumquodque eo genere diſſolvi [illegible]